

cietatis pertulere. Hanc porro extrahunt in multos dies; utque novis cruciatibus tristis victima suppeditat, intermittunt eosdem aliquandiu, donec ad extremum fatiscant corpora, & concidant. Tunc è pectore cor avellunt, torrent subiectis prunis; & cruento conditum juvenibus avidè comedendum objiciunt, si captivus suppliciorum acerbitatem generosè fuerit perpeffus: ut viri fortis, inquiunt, masculum robur juventus belatrix combibat. Laudatur qui rogum, cultros, vulnera, irretorto vultu aspexerit, & exceperit: qui non ingemuerit, qui risu cantuque tortoribus illuserit: nam canere tot inter mortes, amplum ac magnificum esse putant. Itaque cantilenas ipsi multo ante componunt, quas capti, si fors ferat, recitent. Reliqua multitudo cadaver absfumit in ferali convivio. Dux reservat sibi verticis pellem cum coma, monumentum victoriæ, trophæum crudelitatis.